

A ab Aegyptijs vasa aurea & argentea & vestem: atque addidit, & prædabimini eos: mandati huius non potest iniustum esse iudicium. Mandatum enim dei est, de quo non iudicandum, sed ei obtemperandum fuit. Ille enim nouit quàm iuste mandauerit, ad seruum autem pertinet obedire facere quod manda-

VII. iit.

Exo. 4.

Quod ait Moyses ad dominum, precor domine nõ sum eloquens ante hesternum, neque ante nudius tertianum diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo: intelligitur credere, posse fieri dei voluntate subito eloquentem: cum dicit, Neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo: tanquam ostendens fieri potuisse, vt ante hesternum & nudius tertianum diem qui eloquens non fuisset repente fieret, ex quo cum il-

VIII. lo dominus loqui cœpit.

Quis fecit mutum

& audientem, videntem & cæcum: nõne ego dominus deus? Sunt qui deo calumniantur, vel scripturæ potius veteris testamēti, quia dixerat deus, quod ipse fecerat cæcum & mutum. Quia ergo dicunt de domino Christo aperte in Euangelio dicente, Ego veni vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? Quis autem nisi insipientes crediderit aliquid hominibus secundum vitia corporalia posse accidere quod deus non vult: Sed eum iuste totum velle nemo ambigit.

Ioan. 9.

IX.

Quod dominus dicit ad Moysen, Sed nunc vade tu, & ego aperiam os tuum, & instruam te quæ locutus es. Satis hic apparet, non tantum instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad dei voluntatem & gratiam pertinere. Nõ enim ait, Tu aperi os tuum, & ego instruam te: sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam. Alibi autem dicit in Psalmo, Dilata os tuum, & adimplebo illud. Vbi significat in homine voluntatem accipiendi, quod deus donat volenti: vt ad voluntatis exordium pertineat, Dilata os tuum: ad dei autem gratiam, Et adimplebo illud. Hic vero & aperiam os tuum, & instruam te.

Psal. 50.

X.

Et iratus iracundia dominus dixit, Quemadmodum possit intelligi irascens deus, quia non sicut homo per irrationabilem perturbationem, per omnia tenendum est vbi tale aliquid scriptura dicit, ne de hoc eadem sæpe dicenda sint. Sed merito quaeritur cur hic iratus de fratre Moyfi dixerit, quod illi ipse loqueretur ad populum: videtur enim tanquam diffidentis non dedisse plenissimam facultatem, quam daturus erat, & per duos agi voluisse, quod etiam per vnum posset, si credidisset. Veruntamen eadem verba omnia diligentius considerata, non significat iratum dominum pro vindicta dedisse Aaron. Sic enim dicit, Nõne ecce Aaron frater tuus Leuites scio quia eloquens est, loquetur ipse? Quibus verbis ostenditur deus increpasse potius eum, qui timeret ire quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem, per quem posset ad populum loqui quod vellet: quoniam erat ipse gracilis vocis, & lingue tardioris, quanquã de deo totum sperare deberet. Deinde eadem ipsa quæ paulo ante promiserat, & posteaquam iratus est, dicit. Dixerat enim, Aperiam os tuum, & instruam te: nunc autem dicit, Aperiam os tuum & os eius, & instruam vos quæ faciatis: sed quoniam addidit, Et loquetur ipse tibi ad populum: videtur oris apertio præstita, propter quod dicit Moyses lingue se tardioris.

De vocis autem gracilitate nihil ei dominus præstare voluit, sed propter hoc adiutorium fratris adiunxit, qui posset ea vt i voce, quæ populo docendo sufficeret. Quod autem ait, Et dabis verba mea in os eius: ostendit quod ea loquendo esset daturus: nam si tantummodo audiendo, sicut populo in aures diceret. Deinde quod paulo post ait, Et loquetur ipse tibi ad populum, & ipse erit tuum os: & sic subauditur, ad populum. Et cum dicit, Tibi loquetur ad populum: satis indicat in Moyle principatum, in Aaron ministerium. Deinde quod ait, Tu autem illi eris in

Tomus quartus.

ils quæ ad deum. Magnum hic fortassis perscrutandum est sacramentum, cuius figuram gerat, velut medius Moyses inter dominum & Aaron, & medius Aaron inter Moysen & populum.

XI.

In eo quod scriptum, Et factum est in via ad refectioem obuiauit ei angelus, & querebat eum occidere: & assumpto Sephora calculo, circumcidit præputium filij sui, & procidit ad pedes eius, & dixit, Stetit sanguis circumcisionis infantis mei: & recessit ab eo: propter quod dixit, Desistit sanguis circumcisionis. Primum quaeritur quem volebat angelus occidere, vtrum Moysen, quia dictum est, Occurrit ei angelus, & querebat eum occidere. Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi qui vniuerso suorū comitatu præfuit, & a quo cæteri dicebantur? An puerum querebat occidere, cui mater circumcidendo subuenit: vt ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumciscus, atque ita sancire præceptum circumcisionis, seueritate vindicte. Quod si ita est, incertum est prius de quo dixerit. Querebat eum occidere, quia ignoratur quem, nisi ex consequentibus reperiat: mira sanè locutione & inusitata, vt prius diceret, Occurrit ei, & querebat eum occidere: de quo nihil ante dixerat. Sed talis est in Psalmo, Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit dominus portas Sion. Inde enim Psal-

Psal. 86.

E

mus incipit, nec aliquid de illo vel de illa dixerat, cuius fundamenta voluit intelligi, dicens, Fundamenta eius in montibus sanctis. Sed quia sequitur, Diligit dominus portas Sion: fundamenta vel domini vel Sion, & ad faciliorem sensum magis Sion, vt fundamenta ciuitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronome, quod est eius, genus ambiguum est: omnis enim generis est hoc pronomen, id est, & masculini, & feminini, & neutri: in Græco autem in feminino genere dicitur *αυτης*, & habet codex Græcus *αυτου*, cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta domini, id est, quæ constituit dominus, de quo dictum est, Edificans Hierusalem dominus. Nec

Psal. 146

Sion tamen, nec dominum antea nominauerat, cum diceret, Fundamenta eius in montibus sanctis: sic & hic non dum nominato infante dictum est, Occurrit ei, & querebat eum occidere: vt de quo dixerit, in consequentibus agnoscamus: quanquã & si de Moysa accipere quisquã voluerit, non est magnopere resistendum. Illud potius quod sequitur si fieri potest intelligatur, quid sibi velit ideo recessisse angelum ab interfectione cuiuslibet eorum, quia dixit mulier, Stetit sanguis circumcisionis infantis: non enim ait, recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem: sed quia stetit sanguis circumcisionis: non quia cucurrit, sed quia stetit, magno nisi fallor sacramento.

XII.

XII.

Quod superius dictum est, quod Moyses vxorem & infantes suos imposuit vehiculis, vt cum eis in Aegyptum pergeret, postea vero Iethro socer eius illi cum eis occurrit, postea quã eduxit populū ex Aegypto, quaeri potest quomodo vtriusque sit verū. Sed intelligendum est, post illam quæ ab angelo futura erat interfectione Moyfi vel infantis, reuersam fuisse cum parulis. Nam quidam putauerunt propter hoc angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerij quod diuinitus impositū Moyses gerebat, femineus sexus comitaretur.

XIII.

Quæritur quomodo populo dicatur, quod mandauit deus eiecerunt se eos de Aegypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicatur, quod trium dierū iter exire vellent in desertum, & immolare deo suo ex mædato eius. Sed intelligendum est, quãuis deus sciret quid esset facturus, quoniam presciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primo dictum esse quod etiam primitus fieret si ille dimitteret: vt enim sic fierent omnia quemadmodum conueniens scriptura testatur, Pharaonis cõtumacia meruit & suorū. Neque enim mendaciter deus iubet quod

d. iij. scit